



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm  
Capitum secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 3167**

Sine præiudicio &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

injusticiæ & uitæ aternæ, pro mitigatione pœnarum presentium, pro remissione pœnæ aternæ. Hæc tanta bona agnoscamus, & celebremus, præstemus etiam beneuolentiam debitam ijs, quorum labor in hoc ministerio pio seruit Ecclesiæ.

*Sine præiudicio &c.*

**O**rdinat forensia quædam, quæ cum & natura nota & in Lege Dei expressa sunt, & in iure usitato repetuntur, non sunt obscura. Iuniores uocabula discant intelligere. Præiudicium significat statuere re nondum ordine cognita, siue id fiat affectu, siue persuasione propriæ sapientiæ. Ita Deutero. 16. expressè mandatum est, Audite illos, & quod iustum est iudicate. Et nota sunt dicta μήδε δίνω δικάσας πρίν ἀμφοῖν μῦτον ἀκρόσῃς. Item, δὲ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροῖσθαι.

Et quia sæpe corrumpuntur iudicia affectibus, ideo addit: Nihil facias secundum inclinationem, id est, non discedas à regula iusticiæ ullo priuato affectu. Sic potest accidere uel superbia, cum non uult quisquam cedere alienæ sententiæ, etiamsi uoluntas erga partes æqualis est, uel cum uoluntas non æqualis est erga partes, id nominatur προσωποληψία. Species igitur plu-

I. EPISTOLA AD

res coniunguntur Deuteronom: 16. Non decli-  
nes in alteram partem, non accipias personam,  
Et ex eo sumpsit Paulus uerbum inclinationem,  
quo hic et προσωποληψία comprehendit, quæ  
est esse inæqualem erga æquales, & æqualem er-  
ga inæquales.

Vult enim Deus intelligi, iusticiam esse æque-  
litatem erga æquales, quæ quidem habet norma-  
mentem diuinam, quæ diligit similia suæ uolun-  
tati, & reijcit dissimilia suæ uoluntati. Ita ius-  
tus Rex seruat omnes iustos, & punit omnes  
iniustos. Dicitur autem acceptio personæ, cum  
aliqua species seu umbra extra causam am-  
fertur regule iusticiæ, ut cum parcit iudex  
adultero, quia est nobilis, iuxta illud:

Dat ueniam coruis, uexat censura columba.

Est igitur acceptio personarum iniusta, quæ  
discedit à regula iusticiæ, & efficit inæquali-  
tatem.

Hæc tota commonefactio diligenter confide-  
randa est, ut uocabulum expendatur, & hæc di-  
cissima consolatio sæpe repetita in scripturis  
familiariter nota sit, quæ dicit, apud DEUM  
non esse προσωποληψία, ut Romano: 2. cap.  
Actor: 10. Et Esaiæ 42. de Messia dicitur  
Non accipiet personam, id est, non erit iniustus.

non erit inæqualis, Deus uerè æqualis est æqualibus. Damnat peccata in omnibus, & recipit omnes confugientes ad filium &c.

*Nemini citò manus im-  
ponito &c:*

**C**omplectitur utilem doctrinam. Primum confirmat uocationem & ordinationem, quæ sit per homines in Ecclesia, quia approbat ordinationem quam Timotheus faciebat imponens manus ijs quos Ecclesia uel ipse elegerat. Est autem ingens beneficium Dei, quòd uult ab Ecclesia uocari uel eligi ministros, et per nos uerè uult esse efficax. Sicut inquit Dominus Ioan: 20. Sicut pater meus misit me, ita ego mitto uos. Et postea præcipit Tito Paulus capite 1. Constitue presbyteros.

Hoc ingens beneficium grati agnoscere debemus, & hac fide exercere ministerium, & uti ministerio, ac statuere quòd Deus uerè efficax sit uoce horum ministrorum. Ac supra copiosius dictum est de duplici uocatione ministrorum.

Altera admonitio hic comprehensa hæc est, Quòd uult fieri exploratione doctrinae & moru, nec admitti ad ministerium inexploratos, sicut & infra præcipit 2. Timoth: 2. Commenda mi-

L 3 nisteri-